Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

repremo quod acceleres, sed transfero in me quod trepidas, et substerno qua transeas. O domine
mediator deus super nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam. Nam quod tu tantus
tuae caritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo qui suae infirmitatis
necessitate turbantur, ne desperando pereant consolaris. Denique homo qui sequi vult,
audiat qua sequatur. Accessit forte hora tribulis, proponitur optio aut faciende in
iquitatis, aut subeunde passionis. Turbatur anima infirma, propter quam sponte
turbata est anima invicta, propone tue voluntati voluntatem dei. Attende
enim quid deinde subiungat creator tuus et magister tuus qui te fecit, et ut
te doceret factus est et ipse quod fecit; homo enim factus est qui hominem fecit, sed deus in
commutabilis mansit et hominem in melius commutavit. Audi ergo quid deinde
subiungat. Cum dixisset nunc anima mea turbata est, et quid dicam? inquit. Pater,
salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica
nomen tuum. Docuit te quid cogites, docuit te quid dicas, quem invoces, in quo
speres, cuius voluntatem certam atque divinam tue voluntati humane infir
mique praeponas. Non ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult ab imo proficere.
Nam et temptari dignatus est a diabolo, a quo utique si nollet non temptaretur, quemad
modum si nollet non pateretur. Et ea respondit diabolo que tu in temptationibus
debeas respondere. Et ille quidem temptatus est et non periclitatus, ut doceret te in
temptatione periclitantem temptatori respondere, et post temptatorem non ire, sed de
periculo temptationis exire. Sicut autem hic dixit nunc anima mea turbata est, ita
etiam ubi dicit tristis est anima mea usque ad mortem, et pater si fieri potest tran
seat a me calix iste, hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contris
tatum et conturbatum, quod sequitur dicere. Verum non quod ego volo, sed quod tu vis pater.
Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humane vo
luntas divina praeponitur. Quid est autem clarificatum nomen, nisi in sua passione et re
surrectione? Quid ergo est aliud, nisi ut pater clarificet filium, qui clarificat nomen
suum etiam in similibus passionibus servorum suorum? Unde scriptum est de petro, quod
ideo de illo dixerit, alter te cinget et feret quo tu non vis, quia significare voluit
qua morte glorificaturus esset deum. Ergo et in illo deus clarificabat nomen suum,
quia etiam sic in membris eius clarificat christum. Venit ergo vox de celo. Et clarifica
vi et iterum clarificabo. Et clarificavi antequam facerem mundum, et iterum
clarificabo cum resurgeret a mortuis et ascendit in celum. Et aliter intelli
gi potest. Et clarificavi cum de virgine natus est, cum virtutes operatus est, cum celo
indice per stellam a magis adoratus est, cum a sanctis spiritu sancto plenis agnitus est, cum
descendente spiritu sancto in specie columbe declaratus, cum voce de celo sonante
monstratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum mul
tos sanavit atque mundavit, cum de paucis panibus tantam multitudinem
pavit, cum ventis et fluctibus imperavit, cum mortuos suscitavit. Et iterum
clarificabo cum resurget a mortuis, cum mors ei ultra non dominabitur, cum ex